

tamen in fine C. I. L. I. ubi de Naribus et Odore agitur, pro *flagrantia* rescribendum est in edit. *fragrantia*, quod habuit Codex noster, sed secunda manus more illius aevi, quo frequenter *fraglare* pro *fragrare* occurrit, mutavit in *fraglantia*, atque id Editor ineptam fortasse Librarii μεταθεσιν iudicavit, si in suis etiam Exemplis reperit.

IV. fol. 109. p. 2. Incipit *tractatus sancti Ambrosii Episcopi de Penitentia*. Non illico. Praemissa est enim Objurgatio illa, quae inter *Hieronymi Rejectionis* T. XI. Opp. col. 230. a *Vallarsio* relata et inscripta fuit: *Ad quemdam, qui in Seculo poenitebat, ignorante jam Erasmo, a quo, aut ad quem profecta fit. In Editis incipit: Ad te surgo hominem, quem scio esse fidelem. Ad te increpatione mea festinat, quem sentio esse superbum. In Codice vero: Ad te increpationem festino, quem scio esse superbum &c. Qua ratione huc se penetraverit isthaec Naenia, cum ignarissimis novi. Eam tamen excipiunt genuini Ambrosii Libri II. quorum initium: Si virtutum finis ille est maximus &c. ut edit. T. II. col. 389. et Textus fatis castigatus.*

Ad calcem adscripta est Sec. XII. haec Donatio: *Notum sit omnibus christianis quod quidam uir nobilis nomine Hermannus de cazelinesdorf et uxor eius Gerdrudis delegauerunt sanctae et intemeratae dei genitrici semperque uirgini mariae quoddam praedium in loco qui dicitur bard. & huius rei testes sunt*

ipsemet Hermannus. et duo milites proprii eius Ruodolf de cazelinesdorf. fridericus de bockesrukke. et filius sororis huius bertinc. Uolricus de Witegis. Siboto de busrukke. Abertus de thimnic. Porne de amelungesbabc. Hainrich de spileberc. Pilgrim de struome. Alber & filius eius ulfalcus de bicendorf. Lutholt Sigemar de sassen. Non pauca horum Locorum parce detortis nominibus vel hodie supersunt per utramque Austriam.

CCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 18 XV. Folior. 95. f. per duas columnas nitide exaratus, et literis initiorum per priores aliquot paginas picturatis hoc rubro gaudet: *Incipit Tractatus Sancti Ambrosii Archiepiscopi de Psalmo Centesimo octavo decimo. Prologi initium: Licet mystica queque uelut tube increpauerit sono dauid propheta &c. Initium Sermonis I. Beati immaculati &c. Quam pulcher ordo, quam plenus doctrine et gratie. &c. Atque ita Sermonibus XXII. pro literarum hebraicarum numero exponitur Psalmus, expositione deficiente in haec verba: Cepit in ortis esse ecclesia, postquam in ortis passus est christus. Additur: Deo gratias, et rubro: Explicit Tractatus &c. ut in fronte. Habetur hic Commentarius T. I. Opp. Ambrosii edit. Maur. Paris. 1686. col. 971. f. Verum Editoribus nullum Codicis nostri ἀντιγραφήν ad manum fuisse videtur; alioquin enim lectionis varietatem, quae non*

non rara est, in *Notis* suis adtulissent. Ita mox in Prologo Noster habet: *elucet atque eminent pro lucent atque emicant.* Item medio *fervente calore pro meridiano ferventem calore, in provecta pro in processa, castitatis et simplicitatis spiritale sacrificium* omisso, quod *Edita* interferunt, τω *animantia*, demum *rationis capax hostia*, quod ultimum verbum in *Editis* non legitur. Sic et per decursum *Sermonum*, ut exempli causa *Serm. XXII.* et ult. *Hic est ergo profectus finis, culpe situs pro ut etiam culpae sit; Qui jam errare nescit pro qui in errore jam non sit, &c.*

CCXCII.

U. 179 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 331. f. bene perscriptus, rubricis enotatus, et, ut *fol. praevio*, cui etiam *Theologica* quaedam *de Malo et Peccato* adscripta sunt, dicitur, a celebri *Thoma Hasefbachio* legatus cum tot aliis *Collegio ducali Vien.* complectitur sequentia: I. *Incipit tractatus beati Ambrosij Episcopi in Epistolam beati pauli ad Romanos.* Et sic in reliquis XIII. *Apostoli Epistolas.* Verum hi *Tractatus Ambrosium* solum modo mentiuntur, ut egregie *discussere Mauriani* edit. *Opp. Paris. 1690.* in *Append. T. II. col. 21.* f. qui *Tractatum ultimum in Epist. ad Hebraeos* penitus omisere, utpote ne quidem ad hunc *Ambrosiastrum* pertinentem. Extat tamen in *Cod. nostro fol. 213. p. 2.* hoc rubro: *Incipit commentum Beati Ambrosij super epistola ad Denis Codd. Theol. V. II. P. I.*

Hebreos. Initium Prologi *Tract. I.* est: *Principia rerum requirenda ut noticia earum possit haberi &c.* Quae paullo aliter se habent in *Editis.*

II. *fol. 243.* *Incipit de virginibus liber primus Beati Ambrosij ad sororem suam Marcellinam.* Ita: *Si iuxta celestis sententiam veritatis &c.* Sequitur *Liber II.* et III. ut in edit. *suprac. T. II. col. 145.* Verum adtextus est etiam IV. qui huc non pertinet, et separatum constituit *Tractatum*, qui in edit. *T. eod. col. 213.* titulo *De Virginitate Liber* unus legitur hoc initio: *Nobile apud veteres Salomonis &c.* Et merito quidem, si initium *Tractatus* attendas, quem nunc indico.

III. *fol. 270.* *Incipit liber de viduis beati Ambrosij Episcopi.* Nempe sic: *Bene accidit fratres ut quoniam tribus libris superioribus de virginum laudibus differuimus &c.* Vides *Ambrosium* ipsum non nisi *tres Libros* memorare. Igitur *Liber* ille IV. seorsim et serius scriptus est, et in edit. *cit.* post *Librum de Viduis T. II. col. 213.* rite comparet.

IV. *fol. 281. p. 2.* *Secundus liber de (Officijs scriptum erat, sed eo jugulato superimpositum) viduis beati Ambrosij Episcopi.* Nihilofanuis *Librarius.* Scribendum erat: *Exhortatio Virginitatis, vel ad Virgines,* sed illudit ei *Juliana pia Vidua,* quam S. Doctor tres *Filias* ad servandam virginitatem exhortantem inducit. Itaque *Sermo* hic peculiare constituit *Opusculum*, et ut tale prostat edit. *cit. T. II.*